Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1635
Quelle:
Copyright:

V. *fol.* 25. p. 2. *Tractatulus*, ut e calce praeoccupo, *dictus Antibussi*. Additum ibi alia manu: *Magistri Steffani, ut puto, Palecz in theologia Doctoris*. Errant, qui putant. *Stephanus Dolanensis* primum, tum *Olomucensis Carthusiae* Prior autor est, qui accepto supra memorato *Instrumento* ad refutanda *Hussi* super *Tribus Dubiis* Responsa se adcinxit. Impressa haec Refutatio legitur *Pezii* T. *cit.* p. 363. quocum *Codicem* contuli. In praevia ad *Stanislaum de Znoyma* ceterosque Doctores *Pragenses* Epistola, quae incipit: *Reuerende Magister. Peruenit ad manus meas cuiusdam instrumenti copia* &c. *Stephanus* noster non quidem *Cartusiensem*, ut in Impress. sed tamen *Fratrem* se dicit, quod in *Paleczium* non convenit, qui, cum praeterea *Pragae* degeret ipse, opus non habuit, ut ad Collegas literas daret. Unde emendandus *Cochlaeus* L. I. p. 27.

VI. *fol.* 56. p. 2. *Secuntur articuli contenti formaliter uel sententialiter et elicitiue in tractatu Hussi Pragen. quem intitulauit de ecclesia.* Duplex est Series. Prior incipit: *Nullus prescitus est verus papa* &c. Constat *Articulis* XXII. et subscribitur: *Sub correctione hec doctrinaliter posita sunt velut in transitu. Johannes de Gersano Cancellarius Paryf. indignus.* Tempus confectionis constat ex *Art.* 17. ubi dicitur: *Temporibus istis scilicet Anno domini MCCCCXIV.* &c. Extant hi *Articuli* etiam in Opp. *Hussi supracit.* p. 29. sed numero XIX. Altera Series XXXIII. *Articulor.* incipit: *Ecclesia katholica seu uniuersalis* &c. Legitur haec *Cochlaei* L. III. p. 118. et ab *Alano* Ep. *Leonensi* extracta dicitur, de quo praeter ea, quae *ibid.* leguntur, nil reperio, nisi T. XVI. *Concil. Labb.* edit. *Venet. col.* 323. Nomen inter eos, qui juraverunt approbationem Capitulorum *Narbonensium*, Conc. *Constant.* Sess. XX. 1416.

VII. *fol.* 60. *Incipit Tractatus Magistri Stanislai de Ecclesia.* Sic: *Quia misticum et ecclesiasticum compositum tocius ecclesie per orbem terrae diffusum &c.* Finit: *Vnde obedientia plus valet quam omnes cetere virtutes morales. Hec ille.* (nempe *Augustin.*) *Et sic est finis huius tractatuli de ecclesia editus per Magistrum Stanislaum de Znoyma. Wicleffi* et *Hussi* Scriptis eodem Titulo gaudentibus opponitur. Alium *Stanislai* nostri ejusdem Argumenti Tractatum sed prolixissimum e *Cod.* vix amplius, ut ait, legibili Carthusiae *Gemnic.* memoravit *Bern. Pezius Dissert. Isag.* ad T. IV. *Thes. Anecd.* p. 13.

VIII. *fol.* 67. p. 2. *Sequitur alius tractatus de Ecclesia.* Initium: *Ecclesia sex modis accipitur, Primo pro templo* &c. Finis: *et publice in ecclesia dicere non timemus. Hec ille.* (nempe *Hieron.*) Velitatio praecedenti gemina, cujus Autor reticetur, e *Cod.* tamen CCCCXXII. innotescit *Steph. Palecz.*

IX.